erit magnus. sed ille quasi homo magnus. hic quasi deus ma
gnus. Magnus enim dominus et laudabilis nimis. et magnitu
dinis eius non est finis. Et uere est et ille magnus. quo maior in
ter natos mulierum propheta iohanne baptista nemo est. Ha
bet tamen maiorem. quia qui minor est in regno dei maior
est illo. Magnus autem iohannes. sed coram domino. Et magnus iohannes
uinum et siceram non bibit. hic cum publicanis et peccatoribus
manducat et bibit. Ille abstinentiae meritum colligat.
cui potentia nulla naturae. christus autem cui naturaliter sub
petebat delicta donare. cur eos declinaret quos ab
stinentibus poterat praestare meliores. Simul mystice
non dedignatur ex conuiuio. quibus daturus est sacramentum.
Hic ergo manducat. ille ieiunat. Utriusque populi typus. in
illo ieiunat. in hoc pascitur. Sed ieiunauit et christus. ne prae
ceptum declinares. Manducauit cum peccatoribus ut gratiam
cerneres. agnosceres potestatem. Magnus ergo et iohannes.
sed huius magnitudo habet principium. habet finem. Dominus autem
iesus idem est finis atque principium. idem primus et nouissi
mus. Nichil ante primum. nichil ultra nouissimum. Neque te
generationis humanae consuetudo inuitum trahat. ut pu
tes non primum esse qui filius est. Sequere scripturas. ut errare non
possis. Primus filius dicitur. lectum est et quia et solus pater. qui solus
habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem.
sic legisti. et immortali soli deo. Sed neque primus ante pa
trem. neque solus sine filio. Si alterum negas. alterum destru
is. utrumque sequere. et utrumque confirmas. Non dixit ego prior:
et ego posterior. sed ego primus et ego nouissimus. Primus
est filius. et ideo coaeternus. habet enim patrem cum quo sit aeternus.
Audeo dicere. primus est filius. sed solus non est. et bene dico. et reli
giose dico. Quid erigitis ad impietatem heretici aures.